

f. 23. inde se reclamare habeant, aut etiam *minentur ei pro hoc interpellare Romani pontificis aures, quaeso vehementer rescribere praesentialiter, si qua sit inde canonica sententia, qua possit talis episcopus reddi a tanta formidine securus et tutus. (Istud in ultimo, et alia manu longum)¹.

Vale, carissime, vale. Caeterum domno Fulcoldo venerabili decano dicatis, obsecro, implorare me sibi multam in caelo mercedem etiam pro eo, quod tanto sinu pietatis tantaque paternitatis benignitate me dignatus est non solum recipere, sed etiam benivolae caritatis amplexibus fovere. Enimvero fidelis ei eram ex voto, sed deinceps ero ex debito et, quamdiu vixero, habebit me tantillum, etsi non servitorem fidelem, quia non possum, attamen fidelem oratorem per quoscumque possum, si tamen dignabitur, et adimplere precor vicem meae devotionis et dilectionis apud ipsius celsitudinem. Deus scit, omni cum fiducia potestis eum, ut patrem piissimum, possidere. Inspector namque omnium novit, quia multa de vobis michi bona dixit, et quia illum semper audivi et pro tempore vidi studere bonitati, et in ea crescendo semper studet appropinquare Deo. Credo revera, nec vana fides², de illis unum esse, de quibus scriptum est³: 'Qui sanctus est, sanctificetur adhuc'. Praeterea in ingressu refectorii, ubi cervi figuram ex utraque parte vidi depictam, visa est michi illa superscriptio quasi muta — non enim in aliquo vel audientes aedificat — operae pretium duxi ob memoriam mei subiectos vobis mittere versiculos, ut vobis familiari veritatis tramite a vobis correcti et iudicio vestro forsitan probati scriberentur ibi, si forte placeret fratribus una cum domno decano, sub hora dumtaxat Cerbero depicto. Poterit autem istud esse, si forte vestro sederit sano consilio et adiudicaveritis non indignum quod f. 23^v. dico. Alioquin, peto, deleantur et nemini *res pandatur. Per omnia nempe et in omnibus credulus sum magnae et sincerissimae fidei vestrae.

Cerberus et cervus distincti pragmate verso
 Humanum signant lapsum pariterque regressum.
 Namque alter cedens tris sortes reddit ab urna,
 Debita pandit et hinc operis quoque cordis et oris,
 5 Atque triceps quod captat ovans sub lege vorandi,
 Est mortis laqueus redigens in pulvere corpus,
 Alter sed rediens cursu petit astra polumque,
 Pascitur illa avidus, requiem sectatus in ipsis,

1) Diese Worte scheinen eine Bemerkung des Abschreibers zu sein. — Der Brief hatte also eigenhändigen Abschiedsgruss nach alter Weise, und, wie es scheint, auch von derselben Hand das Nachwort: entweder hat der Abschreiber dieses als 'longum' bezeichnet, oder es war verlängerte Schrift. Denn bei der durchgehend sorgfältigen Interpunktion darf man in 'manu longum Vale' das 'longum' nicht mit 'vale' verbinden. W. 2) Aen. IV, 12. 3) Apoc. 22, 11.